



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XLIV. Bischof Balduin von Brandenburg weiht die Bartholomäi-Kirche zu Zerbst, am 20. September 1215.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**XLIV. Bischof Balduin von Brandenburg weiht die Bartholomäi-Kirche zu Zerbst,  
am 20. September 1215.**

In nomine sancte et individue trinitatis. Balduinus dei gratia Brandenburgensis Episcopus. Notum esse volumus — nos Ecclesiam beati Bartholomei in Scerewist dedecimus, assignantes eidem dotem subscriptam — adhibitis testibus idoneis, quorum nomina hec sunt: Woltherus Prepositus in Lezeke etc. Datum Jezere, XII. Kal. Octobr. anno ab incarnat. Domini M. CC. XV. Indict. III.

Ausführlich in Beckmann's Anhalt. Hist. III., 203.

**XLV. Bischof Balduin von Brandenburg erhöht die Kirche St. Marien zu Coswig zu einem  
Dom- und Collegiatstifte, am 22. September 1215.**

In nomine sancte et individue trinitatis. Balduinus Dei Gratia ecclesie Brandenburgensis Episcopus. Ad religionem plantandam et cultum divini nominis augmentandum, ex debito officii nostri tenemur operam adhibere, ut per nostri laboris studium honor Dei accipiat incrementum, ut nos proinde a patre misericordiarum salutis perpetue valeamus premium adipisci. Notum itaque facimus universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quod nos ecclesiam gloriose virginis Marie in oppido Cosewic constitutam aliquando filiam matricis ecclesie, sed nunc ab ipsa liberam, exemptam, modis omnibus sublimare, et divinum in ea Servitium cupientes pro reverentia ejusdem Virginis ampliare, requisito consilio et assensu Henrici, Illustris Comitis de Anhalt, in cujus proprietate sita dignoscitur ecclesia memorata, intellecta etiam voluntate fidelis nostri, Hoyeri, Comitis de Valckenstein, qui eundem fundum tenet in feudo a principe ante dicto, Arnoldi quoque Plebani ejusdem oppidi conniventia concedente, in eadem ecclesia Canonicos quinque Deo autore institimus, preficientes eisdem Decanum, Plebanum videlicet ante fatum, qui pre aliis Canonicis de oblatione ejusdem ecclesie V. marcas argenti accipiet annuatim, quamdiu parochiam Sancti Nicolai, ad quam respicere debet cura populi de toto isto oppido, tenere voluerit. Cui si renunciaverit propria voluntate, ecclesie quinque marce absque dubitatione vacabunt, vacante autem eadem parochia quemcunque virum providum et discretum predictus Comes Hoyerus elegerit, ad Personatum ipsius Ecclesie, et nobis obtulerit investendum, ille curam eandem a nobis accipiet, Decaniam pariter Conventualis ecclesie possessorus, et in predictis V. marcis nihil juris penitus habiturus; unicuique vero Sacerdotum, tam ipsi Decano, quam duobus reliquis in annuo stipendio quatuor libre cedent, tribus libris Diacono et duobus Subdiacono deputatis. Oblationes autem, que hanc summam quotannis exceperint, feliciter conserventur, quousque de ipsis certi reditus valeant comparari, ut Canonicorum ipsorum exinde augmententur stipendia, in hunc modum, Quod sex libre cuilibet Sacerdoti, quatuor Diacono, et tres Subdiacono absque diminutione proveniant, de oblationibus vero illis, que de jam dictis proventibus eorundem Canonicorum annis singulis superesse potuerint, possessiones et predia comparentur, ut secundum prescriptam formam in ipsa ecclesia decem persone valeant sustentari. Ut igitur hec nostra constitutio, et constitutionis dispositio firma perpetua et inconvulsa permaneat, eam presenti pagine commendatam, sigilli nostri impressione roboravimus. Et ne quis eam infringere, vel ei ausu temerario